



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 2. De influxu effectivo Gratiae in habitus, & actus virtutum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

de illo, & è converso; sed anima utpote entitativè naturalis non participat de gratia, quæ est entitativè supernaturalis; ergo anima non potest continere virtualiter gratiam, neque gratia potest virtualiter contineri in anima. Confirmatur 1. Supernaturale excedit naturam; ergo nequit in ea contineri. Confirmatur 2. Si gratia contineretur in anima, esset aliquomodo ex anima; sicut forma ignis contenta, & educta ex ligno est aliquomodo ex ligno; sed gratia nequit esse ex anima; aliter gratia esset ex nobis, quod est Semipelagianum; ergo &c.

179. Resp. neg. maj. ad prob. neg. utramque partem antecedentis: formæ etenim materiales accidentales non educuntur ex materia, quia continentur in illa; aliter infinitæ formæ variæ continerentur in materia, cum possunt educi ex materia; ergo ex materia educi solum est produci & uniri illi per unionem, quæ destructa naturaliter esse non possunt, tum quia formæ accidentales materiales non possunt ex natura sua esse absque unione quam habent cum materia, & possunt esse, uti de facto existunt, absque unione cum anima, ideo educuntur ex materia & non ex anima; unde probationes & confirmationes adversariorum nullius sunt momenti, neque forma ignis educta in ligno est producta à ligno, sed solum est producta dependenter, ut dixi, à materia ligni, quod valde diversum est, ac esse ex ligno. Unde immerito infert Adversarius sententiam nostram Semipelagianam esse.

180. Obijcies 1. Anima nequit esse causa materialis gratiæ; ergo gratia nequit educi ex anima. Prob. ant. neque enim potest esse causa materialis principalis, neque obediencialis; ergo &c. antecedens quo ad primam partem patet, quia nihil naturale potest esse causa principalis efficiens entis supernaturalis; ergo nequit esse causa principalis materialis. Prob. jam quoad secundam partem. Causa obediencialis seu instrumentalis materialis debet habere causam principalem materiale adjuvantem & elevantem, sicut causa obediencialis efficiens habet concomitantem materiale principalem, cum sola anima gratiam recipiat, & non datur altera causa gratiam recipiens, ergo &c.

181. In solutione hujus argumenti divisi sunt DD. Scotistæ enim communiter judicant apud Ripaldam de ente supernaturali disp. 8. lect. 2. Virtutem animæ receptivam donorum supernaturalium esse adæquatè naturalem ex eo, quod ea sola, & non aliqua alia virtus recipiat supernaturaliter gratiam, subscribunt Conink, Wadingus, Henao & alij. Reliqui vero judicant esse virtutem obediencialem, quia licet sola anima recipiat, nequit reduci ad actum absque unione, & causalitate superna ab auctore supernaturali producta, quod fat est, ut ea virtus dicatur obediencialis, cum non possit reduci ad actum nisi supernaturaliter & obediendo principio efficienti superiori, quapropter
P. Gormaz Theolog. Tom. I.

per totum dissidium est de voce; cæterum, ut eam penitus everramus,

182. Respondeo neg. ant. ad probationem dist. ant. quo ad primam partem, nequit esse causa materialis principalis, quatenus causa materialis principalis solum significat causam adæquatam receptivam, nego; quatenus significat causam, quæ absque causalitate & virtute superna reduci potest ad actum, conc. primam partem; & distincta eodem modo secundam, nego conseq. ad probationem primæ partis conc. ant. & neg. conseq. in sensu explicato, quia causa efficiens tribuit perfectionem effectui, causa verò materialis non tribuit, sed potius recipit ab effectu perfectionem, cum autem repugnet, quod res naturalis, utpote imperfectior, & valde inferior, tribuat adæquatè se sola perfectionem effectui supernaturali perfectiori, & valde superiori, & non repugnet, quod effectus illi tribuat perfectionem, ideo non repugnat quod in hoc sensu sit causa materialis principalis, licet repugnet, quod sit causa principalis efficiens effectus superni. Ad probationem secundæ partis neg. maj. in sensu explicato, quia ex causa efficiente ad materiale non tenet paritas, propter rationem datam, unde si explicent adversarij, quid intelligant nomine causæ materialis principalis, facile eis respondendum, quin illorum paritas nobis officiat.

183. Obijc. ult. ex Script. Psalm. 50. dicitur: *Cor mundum crea in me Deus. Ephes. 2. Creati in Christo JESU in operibus bonis, & cap. 4. Induite novum hominem. qui secundum Deum creatus est;* sed in his sermo est de creatione gratiæ, qua cor mundatur homo renovatur, & virtutum opera fiunt; ergo gratia creatur. Respondeo dist. min. de creatione metaphysica, & Theologicè sumpta, neg. in sensu morali, conc. min. & neg. conseq. quia ad creationem in sensu morali sufficit, quod gratia fiat ex nihilo, id est, non ex ullis meritis nostris, quod non excludit educationem metaphysicè & scholasticè sumptam. Sic D. Thomas 1. part. quæst. 110. art. 2 ad 3. Gratia dicitur creari ex eo, quod homo secundum ipsam creatur, id est, in novo esse constituitur ex nihilo, id est, non ex meritis, secundum illud Ephes. 2. *Creati in Christo JESU in operibus bonis.* Imò advertere debebant Adversarij, sæpe in Scriptura insinuari, gratiam educi, vel generari ut 1. Cor. 4. *In Christo JESU per Evangelium ego vos genui* & 1. Petri 2. *Sicut modo geniti infantes.* Respondent alij secundò per ly *creari* intelligi in Scriptura quamlibet productionem à Deo, seu creativam, seu eductivam: cum Genes. 1. dicitur: *Creasse Deum hominem, creasse cate grandia &c.*

SECTIO II.

De influxu effectivo gratiæ in habitus & actus virtutum.

184. Circa hoc etiã sunt diversæ sententiæ. Prima docet, gratiam habitualem physicè effecti-

vè producere habitus virtutum. Ita Granad. contrav. 8. tract. 8. disp. 3. Ripalda disp. 121. sect. 3. Oxea de fide disp. 9. sect. 1. quibus subscribunt aliqui Recentiores. Secunda sententia negat. Ita Suarez, Amicus, disp. 29. sect. 8. de Lugo disp. 16. de fide sect. 1. tum etiam Curiel, & communis DD. sententia apud Oviedo tract. 8. num. 3. neque procedit quæstio de possibili, sed de facto. nam de possibili, quare implicabit gratia productiva habituum, vel quare non potest ex natura sua habitus virtutum producere?

185. Affero cum secunda sententia. Gratia habitualis de facto non producit physicè effectivè habitus virtutum. Prob. quia quando nullum datur solidum fundamentum pro sententia opposita, standum est comuni sententiæ; atqui pro sententia affirmante talem influxum, nullum datur solidum fundamentum, ut infra constabit; ergo standum pro communi sententia negante. Confirm. Non sunt multiplicanda principia physicè effectiva absque necessitate; sed non est necessitas quòd gratia habitualis sit principium physicè effectivum habituum virtutum infusarum; ergo &c.

186. Respondent Adversarij magnam esse necessitatem, cum gratia sit natura in ordine superno, habitusq; illius proprietates. Contra, Gratia non est rigorosè natura, sed quasi natura, nec habitus superni sunt rigorosè proprietates, sed quatenus debentur gratiæ, sunt quasi proprietates; ergo ex eo, quòd non sit rigorosè natura, non est necessitas tribuendi illi influxum physicè effectivum, qui tribuitur naturæ, quæ rigorosè est natura: ergo &c. min. & conseq. tenent; maj. prob. natura, quæ rigorosè in sensu Aristotelico est natura, verè producit, & recipit suas proprietates; sed gratia habitualis adhuc apud Adversarios non recipit habitus virtutum, cum isti in solis potentiis recipiantur; ergo neque habitus virtutum sunt rigorosè proprietates, neque gratia est respectu illorum rigorosè natura, sed solum quasi natura; ergo &c.

187. Contra 2. Natura, quæ est rigorosè in sensu Aristotelico natura, denominatur à suis proprietatibus ex natura rerum aliquà merà denominatione; sic aqua denominatur frigida à frigiditate & ignis denominatur à calore calidus; sed gratia nullà denominatione denominatur ex naturâ rei ab habitibus virtutum; ergo non est rigorosè natura respectu illorum habituum 3. Omnes proprietates, sine quibus non reperitur natura, quæ in sensu Aristotelico est rigorosè natura, producuntur à natura, cum hæc sit principium & causa motus & quietis, id est productionis & receptionis, qua propter Deum excluditur à ratione naturæ Aristotelicæ; sed non producuntur, à gratia omnes habitus, sine quibus non reperitur gratia; ergo gratia respectu illorum habituum non est in sensu Aristotelico rigorosè natura. prob. min. quando peccator fidelis & instructus habitu fidei ac-

quirit gratiam, gratia in illo homine non producit habitum fidei; atqui gratia nunquam reperitur sine habitu fidei, cum ipsi tam debeat habitus fidei, quam debeantur habitus aliorum virtutum; ergo &c.

Natura quæ talis non est in sensu Aristotelico, sed in altiori ordine non producit suas proprietates, sed eas radicat, quatenus debent poni ad positionem naturæ; juxta exigentiam naturæ; ergo ex eo, quòd gratia non sit natura in sensu Aristotelico, sed in alio altiori non producit habitus, sed eos radicat, quatenus juxta exigentiam gratiæ debent poni ad positionem gratiæ. Prob. ant. natura divina est verè natura, non quidem in sensu Aristotelico, sed in alio altiori & eminentiori; atqui non producit sua attributa, neque relationes, sed ea solum radicat; ergo &c. Imò exinde confirm. Gratia non est participatio naturæ philosophicæ, sed naturæ divinæ; atqui natura divina non producit suas proprietates; ergo neque gratia ex munere naturæ debet suas proprietates producere.

Resp. 2. Gratiâ participare munus non in ordine ad recipiendū, sed in ordine ad producendum, cum in rebus naturalibus idè dicimus, quâ producere frigiditatem, quia ad præsentiam aquæ experimur dari frigiditatem, & ita de reliquis; cum ergo scimus ad potentiam gratiæ dari habitus virtutum, fateri debemus produci à gratia tales habitus virtutum. Contra 1. Unio apud Adversarios est proprietas materiæ & formæ, & ad productionem materiæ & formæ experimur poni unionem; atqui ut ipsi adversarij cum reliquis fatentur, unio non producit à materia & forma; ergo illorum fundamentum nullum est. Contra 2. Ratio, propter quam juxta meliorem Philosophiam frigiditas producit ab aqua, est, quia ad positionem aquæ experimur poni frigiditatem, & non invenimus aliud agens naturale, à quo frigiditas producat, si non produceretur ab aqua; cum ergo principium sit, in Philosophia, in rebus naturalibus recurrendum non esse ad causam primam, quando dari potest recursus ad causam secundam, Philosophicum est tribuere aquæ influxum effectivum in frigiditatem; sed hæc ratio non militat in rebus supernis; ergo &c. Prob. min. si militaret hæc ratio in rebus supernis, Deus non aliter esset auctor rerum supernaturalium, ac esset auctor rerum naturalium; sed hoc manifestè est falsum, cum Deus non solum sit auctor, sed specialis auctor rerum supernaturalium; quapropter, ut philosophicum est, non recurrere in naturalibus ad causam primam, quando dari potest recursus ad causam secundam; ita Theologicum est, non recurrere ad causam secundam in supernaturalibus, quando absque ullo interveniente dari potest recursus ad causam primam, præcipue, si nobis constat infusum esse principium à Deo ad eos effectus producendos.

Contra 3. Solum scimus, dari ad præsentiam gratiæ

gratiæ habitus infusos, modò, quo scimus deberi gratiæ habitus infusos; sed scimus habitus infusos non deberi gratiæ itaquam naturæ philosophicæ, sed tanquam naturæ assimilatae naturæ divinæ; ergo non concedendi sunt gratiæ ad modum, quo conceduntur suæ proprietates naturæ philosophicæ; sed ad modum, quo suæ proprietates conceduntur naturæ divinæ; atqui naturæ divinæ non conceduntur proprietates productæ à natura divina; ergo neque gratiæ concedendæ sunt proprietates productæ à gratia. Confirmatur, & explicatur hæc ratio. Gratiæ concedi debet assimilatio naturæ divinæ, quæ principiis Theologicis non opponitur, sed quæ principiis iis conformatur; atqui, licet opponatur principiis Theologicis concedere gratiæ proprietates secum ipsa identificatas, uti conceduntur naturæ divinæ; cum gratia distinguatur realiter ab habitibus virtutum, ut ex dictis constat; non tamen opponitur, imò conforme est principiis Theologicis, admittere proprietates ipsi debitas, & non ab ipsa productas, ut ex dictis; ergo &c.

191. Probat. 2. ex Concilio Viennensi, virtutes omnes infunduntur cum gratia, quod etiam docet Tridentinum dicens: Justificationem fieri per infusionem gratiæ & donorum; ubi eodem modo videntur Concilia loqui de infusione, seu actione, qua à Deo pendunt virtutes; atqui gratia ita infusa à solo Deo producitur; ergo & virtutes animæ infusæ à solo Deo producuntur; ergo gratia non producit physicè effectivè virtutes infusas. Confirm. Principia physicè effectiva in linea supernaturali multiplicanda non sunt sine necessitate; atqui ad verificandas locutiones Conciliorum, & Theologorum nulla est necessitas tribuendi gratiæ virtutem physicè effectivam virtutù, ut ex dictis constat; ergo &c.

192. Affero 2. cum omnibus ferè Theologis circa secundam sectionis partem: gratia non producit physicè effectivè actus virtuosos. Probat. 1. Habitus gratiæ, ut constat ex Viennensi cit. num. superiori, contradistinguitur ab habitibus virtutum; atqui, si produceret physicè effectivè actus virtuosos, non contradistingueretur ab habitibus virtutum; ergo &c. Probat. min. Si habitus gratiæ physicè effectivè produceret actus virtuosos, esset virtus; ergo non contradistingueretur ab habitibus virtutum. Probat. consequentia. Habitus virtutis est ille, qui immediatè concurret cum potentia ad actus virtuosos; sed si habitus gratiæ produceret physicè effectivè actus virtuosos, immediatè concurreret ad tales producendos cum potentia, cum non concurrat mediatè producendò physicè habitus, ergo &c.

193. Probat. 2. ex Divo Thoma quæst. 27. de Verita. art. 2. ad 7. ubi tenet, gratiam non esse propriè habitum; quia non immediatè ordinatur ad actum, sed ad esse. Unde Cajet. & Conradus ex Div. Thoma docent, gratiam esse habitum essendi, non operandi, quòd

solum tribuat esse supernaturale animæ, non operari, nisi radicaliter, eò quòd nullum est fundamentum ad tribuendum gratiæ immediatum influxum physicum in actus virtutum; ergo &c. Probat. ant. Si aliquod esset fundamentum, maximè, quia gratia recipitur in anima, & habitus in potentiis realiter ab anima distinctis, sicque debent admitti duo principia elevantia animam, & potentias, ut cum utroque physicè agant; sed hoc fundamentum falsum est, & nullum; ergo &c. Probat. min. quia potentiæ, ut suppono ex Philosophia, non distinguuntur realiter ab anima, quia gratia, & habitus recipiuntur immediatè in anima, & potentiis. Deinde, ut habitus elever potentiam, satis est, quòd compleat illius insufficientiam, simul cum ipsa effectivè concurrendò, ad quòd opus non est, quòd in ea recipiatur, sed quòd ei assistat, ut patet in omnipotentia extrinsecùs applicata; sed ad hanc habitus assistentiam sufficit, quòd habitus & potentia in eadem anima recipiantur; ergo &c. Vide Ripaldam disputat. 34.

Habitus supernaturales se habent ad simpliciter posse, simulque cum potentiis constituunt principium physicè effectivum proportionatum actu virtutum; ergo superflue adscribitur gratiæ principium physicè effectivum actu virtutum. Probat. maj. ex eo, quòd cognitio supernaturalis sufficienter, & proportionatè elever intellectum ad repræsentandum objectum voluntati, ut supernaturaliter amet, frustra requiritur nova cognitio ex parte intellectus, & altera ex parte animæ, licet intellectus realiter distinguatur ab anima, ut ipsi Adversarij fatentur; ergo ex eo, quòd habitus supernaturalis sufficienter, & proportionatè elever potentiam ad agendum virtutum actus, frustra requireretur influxus physicus gratiæ ex parte animæ, & influxus habitus ex parte potentiæ, quamvis potentia realiter distinguatur ab anima; ergo ex eo, quòd potentiæ non distinguantur realiter ab anima, multò minùs requiritur influxus ille physicus gratiæ.

195. Objic. 1. Ex eo, quòd videmus ad positionem gratiæ, poni habitus virtutum, habemus sufficiens fundamentum, ut tribuamus gratiæ virtutem physicè effectivam in habitibus virtutum; ergo &c. Probat. ant. Si hoc enim non sufficeret, non haberemus fundamentum ad dicendum, habitus infusos physicè effectivè concurrere ad actus supernos, sed possemus ad solum Deum recurrere; atqui hoc apud omnes est falsum; ergo &c. Resp. neg. ant. ob rationem datam num. 189. ad probationem neg. ant. quia certum est, habitus infusos conferre potentiis ad hoc, ut illas de se impotentes, aut improporionatas adjuvent ad producendos actus; cum autem habitus non possunt aliter adjuvare potentias, nisi cum illis physicè effectivè concurrendò, certum esse debet, habitus virtutum effectivè concurrere ad

suos actus; at verò gratia non datur animæ, ut producat habitus, sed ut eam sanctificet, & à peccato mundet, quod fieri potest, quin physicè effectivè producat habitus, cum ille sit concursus formalis; iste verò effectivus.

196. **Objic. 2.** In naturalibus anima simul cum potentiis concurrat physicè effectivè immediatè ad actus; ergo etiam in supernaturalibus gratia simul cum habitibus concurrat etiam physicè effectivè, & immediatè ad actus; ergo &c. **Confirm.** Gratia imitari debet, quantum fieri potest, naturam rationalem; ergo, sicut natura rationalis sive anima concurrat physicè immediatè cum suis potentiis; ita gratia cum suis habitibus, qui sunt quasi potentia. **Resp. conc. ant. neg. conseq.** quia anima identificatur cum potentiis; secus autem gratia cum habitibus. 2. quia anima vivit per actus potentiarum, ac proinde debet illos effectivè producere; gratia verò nec vivit, nec ullam recipit denominationem ab actibus virtutum; ac proinde ex hoc capite non debet illos effectivè producere. **Ad confirmationem neg. ant.** quia natura rationalis recipit suos actus, secus autem gratia; ac proinde gratia adhuc in sensu Adversariorum non debet imitari, quantum fieri potest, naturam rationalem; tum, quia natura rationalis est natura physica; secus autem gratia.

SECTIO III.

De intensione & extensione gratiae.

197. **D**ifficultas quæstionis est: An gratia possit dita augeri, ut fomitem peccati extinguat: fomes peccati est motus appetitûs præveniens usum rationis, inclinans voluntatem in actum pravum; non est peccatum, sed effectus peccati originalis. Non est dubium Deum posse fomitem tollere non solum in ijs, qui peccatum originale non habuerunt, modo quo sublatum fuit in Christo Domino, & Virgine Matre, sed etiam in ijs, qui contraxerunt originale, cum post remissum originale posset Deus appetitum ita rationi subicere, ut nullus appetitûs motus rationem præveniat.

198. **Resp.** Gratiam habitualement quantumvis intensam non posse fomitem extinguere. Adeò certa est nostra conclusio, ut Arriaga disp. 51. sect. 5. n. 35. Judicet oppositum esse hæreticum. **Prob. 1.** quia Hieronymus in Epistola ad Thesiphontem id tribuit Pelagianis, ut unam ex eorum hæresibus, & in Concil. Vien. id tribuitur Beguardis & Beguinis, ut refertur in Clementina ad nostrum de Hæreticis; ergo &c. **Prob. 2.** quia, ut experientia constat: plures viri sanctissimi clarissima virtutum opera exercentes, patiuntur ejusmodi motus; ergo non tolluntur per augmentum operum, vel gratiæ intensiorem. 3. Quia Paulus postquam ad altissimum sanctitatis gradum eventus est, ejusmodi fomitem in semetipso experiebatur, ut Rom. 3. *Video aliam legem in mem-*

bris meis, & captivantem me in lege peccati; ergo signum est, quod per virtutum opera, vel per augmentum gratiæ non extinguatur fomes peccati.

Respondebis: Prædictum Pauli testimonium intelligendum esse de peccatoribus, in quorum persona Apostolus loquitur. **Contra;** quia licet Augustinus & unus vel alter Pater locum illum ita intellexit in persona peccatoris. Non exinde excluditur, quod intelligatur in persona etiam ejusdem Pauli. Imò Augustinus lib. 1. *Retract. c. 24.* & lib. 2. c. 1. & ex professo l. 1. contra Epistolam Pelagij c. 10. & l. 6. contra Julian. c. 11. ubi pro se citat Nazianzenum, Hilarium, & Ambrosium, testimonium illud intellexit de homine justificato, & in gratia constituto; ergo &c. **Contra 2.** quia Hieronymus sensum à nobis datum clarissimè probat Dialogo 2. contra Pelagium in princ. ubi rursus addit in affirmationem aliud testimonium ejusdem Apostoli ad Galat. 5. *Caro concupiscit adversus spiritum,* ex quibus Doctor maximus, sic infert; ecce Apostolus, omnes credentes, quod volunt implere, non possunt; ergo &c. *Vide plura apud Arriag. citatum.*

Respondebis 2. Augustinum lib. de Serm. Domini in monte ad illa verba Math. 5. *Beati, Pacifici &c.* primarium docere videtur. In pacificis omnia ordinata esse, nullumque adversus rationem esse motum rebellem, & in hac vita compleri sicut credimus compleri esse in Apostolis. **Contra,** quia Augustinus ex eo non intendit omnem motum rebellem ab Apostolis excludere, ut ipse se explicat l. 1. *Retract. c. 19.* dicens, ita id accipiendum, non ut nullum omnino motum dicamus in Apostolis fuisse, sed non tales, quales in alijs, completamque ita esse pacem, prout in statu viae compleri potest; ergo &c.

Secunda difficultas est. Quanta sit intensio gratiæ? Suppono 1. Gratiam habitualement in pueris per baptismum renatis, quo usque ad rationis usum perveniant, nec non in baptizatis perpetuò amentibus esse æqualis intensiōnis. Ratio est, quia respectu illorum nulla præcessit ad gratiam dispositio & virtus baptismi, cujus gratiâ receperunt; ergo est eadem. Suppono 2. Dicitur non posse justos omnes habere æqualem gratiam in via, & æqualem gratiam in patria, eò quòd in via omnia opera sunt æqualis meriti; ratio est, quòd talis error damnatus est contra Jovinianum in Concilio Mediolanensi. Quapropter eadem ratione rejiciendi sunt Lutherani, qui eundem errorem postea excitarunt ducti alia ratione, quæ judicabant justificatiōnem non fieri per formam inhaerentem, sed per justiciam Christi nobis imputatam: rejiciuntur enim ex Tridentino, ut ex num. 1. alius etiam error de æqualitate meritorum clarè apparebit falsus, quando agemus infra de merito.

Suppono 3. cum omnibus Catholicis, gratiam habitualement inæqualem esse in justis *legendum*